



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conferentiæ Theologico Morales

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,
Confessariorúmque omnium

Ex Materia Septem Sacramentorum Atque Justitiæ De Restitutione
Excerptæ

Sargar, Elisaeus

Augustæ Vindelicorum, 1720

An mutus, non obstans, non manifestans. n. 418.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41194

Participans.

CONFERENTIA. XII.

Aliquis furem adjuvat ad effringendas fores: Scalam applicat & tenet, vigilem aut exploratorem agit: Item Faber ferrarius subministrat clavem universalem ad furandum, &c. 417.

An omnes hi teneantur ad restitutionem?

Resp. Primo: Omnis Participans in actione injusta damnificante alterum, sit obligatus ad restitutionem damni securi. Ratio est: Quia talis directe & physice cooperatur ad damnum injuste interendum in actione intrinsece mala, v. g. occisione, vulneratione, effractione, ablatione vel asportatione rei alienae &c.

R. Secundo: Qui participat in actione ex se indifferente, & solum ex alterius mala intentione prava, metu mortis vel gravis verberationis, aut ob aliam justam causam, potest & a peccato, & ab onere restitutionis excusari. Ita Communis.

Ratio est: Quia actionem ex se indifferentem ad bonum finem exercere per se licitum est: Atqui talis exercet actionem de se indifferentem ad bonum finem, scil. vitam propriam, vel incolumitatem conservandam: Igitur &c. Et hinc excusantur a peccato restitutionis onere. I. Qui metu mortis vel alterius gravis mali coactus, præbet furi claves, scalam tenet prædam ablaram portare juvat, vaccas & pecora abigit &c. Quia omnes hæ actiones in

§ 2

dis

differentes, ex sola furis malitia damnificant tertium. II. Non item excusatur, qui firmiter metu adactus ipsemet fores effrugit, res ex domo eijcit, defendentes impugnat, tormenta in Christianos explodit &c. Quia tales actione sunt ex se & intrinsecé malæ, nullo fine excusabiles.

Mutus: non obstans: non manifestans.

CONFERENTIA, XIII.

MUTUS, non obstans, non manifestans, ipsa idem sunt ac non impediens damnum alterius, cum posset ac deberet: tales sunt Reges, Principes, Gubernatores Provinciarum, Duces, belli, Consiliarij Regum ac Principum, Custodes sylvarum, vinearum, piscinarum, fluminum: Item Assessores, Canonici, Capitulares, Tutores Curatores, Administratores bonorum, Praefecti, Satrapæ Oeconomii, Coqui, Cellarij, Granarij, Famuli, Ancillæque, quibus cura demandatur rerum domesticarum, &c. Proinde de omnibus his quæritur, an & quando teneantur ad restitutionem damnorum ex ipsorum taciturnitate non obstantia, & non manifestatione illatorum; pro quo sit.

RESOLUTIO Universalis: Mutus, non obstans, non manifestans, obligantur ad restitutionem damni, quando illud non impediunt dum possunt & tenentur ex iustitia, pura officio